

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epigrammatum Ioan

Owen, John

Amstelodami, 1669

Joannis Audoeni Cambro-Britanni

urn:nbn:de:bsz:31-101098

EPIGRAMMATUM
JOANNIS AUDOENI
CAMBRO-BRITANNI.

Ad HENRICUM PRINCEPES

Wallia.

LIBER PRIMUS.

Ad II. Principem Augustum.

1 IN libris pro more novis & amore dicandis,
A summo sumo Principe principium.

Ad Macenatem.

2 NON ego patronum desidero versibus ullum,
Mæcenate liber non eget; Autor eget.

Ad Marcellum, I. C.

3 PAulini nuper Patiens, Marcellæ, fuisti
Esse pares vultis? sit tuus ille Cliens.

*Ad Henr. Wallia Principem,
Opt. Max.*

4 PECTus & affectus, cerebrum, ratio, caput, & cor,
In te funguntur munere quodque suo,

Pectus enim cerebro, sensum ratione gubernas;
Cor, capitis jussu, non nisi justa cupit,

Cambria tres invicta tulit cognomine * Magnos,
Tu Magnus, Princeps Optime, quarrus eris.

* Tres Principes Walliæ cognomento Magni.

Mercurius Gallo-Belgicus.

5 MERcurius non fit de qualibet arbore; fingit
Mercurium ex ligno quolibet ille faber.

Orpheus.

6 ORpheus uxorem raptam reperit ab oreo;
Duxit ab inferno, sexmina nulla virum.

L 4

7 Ve.

7 *Vestes Academia. Ad Oxonienses & Cantabrigienses.*

CUR, quicumque studet generosis artibus, atet
Cernitur, & nostra Clerus in urbe niger?
Defunctum nostra lugent ob Apollina musæ?
An Mæcenatis funera stenda dolent?
Hæredes habet iste tamen; concedo: bonorum
Scilicet hæredes, non bonitatis habet.

8 *An Petrus fuerit Romæ.*
AN Petrus fuerit Romæ. sub iudice lis est;
Simonem Romæ neiro fuisse negat.

9 *Ei τὸν καὶ ἔχειν.*
E Sse & Habere, bonum est: dixit quis nescio Grajus;
Addidit Alamannus nescio quis; Bibere.

10 *Ad Ligurinum.*
U Xorem, Ligurine, tuam colit Artius: altes
Semen rem fecit; sed tua messis erit.

11 *Non occides; non furaberis*
F Urtum non facies; Juristæ scribitur hæc lex.
Hæc, Non occides, pertinet ad Medicum.

12 *In Alanum Decolorem Chymistam.*
C Hymicus ex auro non aurum fecit Alanus;
Aurum ex non auro non potuit facere.

13 *Ad Henr. Principem.*
P Rimum est, esse suum; tamen hoc cui fata nega-
Alterius non sit, qui Tuus esse potest. (runt.)

14 *Ad Ricardum, Comitem Dorcestrie ex Gallis reduce. 1612.*
M Utavit, quod raro sol, mutatio cœli
In melius mores ingeniumque tuum.
Doctior & melior, tibi gratulor ambo, redisti,
Magne Comes, redeas tu, licet, unde redis.

15 *Novem* } *Musæ.*
 } *Mutæ.*

M OEsæ cum sileant Musæ. quid referat, utrum
Musas an Mutas dixeris esse novem;
Ut γλώσσα à γλώττω dissent idio mate tantum.
Discrepat à Muta nunc mea Musæ parum.

16 Honoris } Etymo- }
 } Genea- } logia.

Divitias & opes non lingua Ebraea vocavit;
Gallica gens aurum Orindaeque venit Hon-or.

17 *Ad Cornutum.*

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni
Dicitur; est tua frons littera Pythagoræ.

18 *Ad Dindymum.*

Mandere te modios mecum salis, inquis, oportet:
Coepit ut ad summum progrediatur Amor.
Manducare salem memini te, Dindyme, nunquam,
Dic igitur, quando noster amicus eris?

19 *Mulier Canonica.*

Est mulier tanquam generalis regula; quare?
In multis fallit regula; sic mulier.

20 *Votum Salomonis.*

Cur regis sapientis erat Sapiencia votum?
Optasset Salomon, si sapuisset: opes?
Non optavit opes Salomon, sapientius optat,
Nam sapere optavit; cur? quia non sapuit.

21 *Quid novi?*

Nill ait esse novum Salomon sub sole; Columbus
In veteri mundum reperit orbe novum.

22 *Britannicarum mulierum trinitas, unde
nata est Britanniarum unitas.*

Conferuere Rosas * Henrici mater & uxor;
Unicit Henrici † filia Regna duo
Filius o felix! felix Henrici maritus
Septime! ter felix in *trinepore pater.
* Septimi, † Margarita Jacobi 4. R. Scororum uxor;
unionis mater. * Jacobo I Britanniz Monarcha.

23 *Δῶρον Βασιλικόν.*

Est optata tibi, Salomon, Sapiencia; Doron
Optasti, Regum maxime, Basilicam.

24 *Basii*

24 Beati { Muni- }
 { Paci- } } fici.

Jacobus laceras Britonum res munit & unit;
Munificus Rex est noster & Unificus.

25 *In Gaurum Ecclesia Canonicum.*

Apocryphas intrer legitur Sapiencia chartas;
Tu licet inspiens, Gaure Canonicus es.

26 *Limax. Emblematicum.*

Limaces, male convenientes sunt vir & uxor:
Non habitant unam facmina masque domum.

27 *Christi, Columbus.*

Cedere diluviū, composque parere liquentes,
Nuncia de caelo prima columba venit;
Equora sic ultra nostris incognita primus
Nunciat immensos esse Columbus agros.
Aurum arham secum tulit alter at altera oliyam:
Alter divitias, altera delicias.

28 *In Regicidas.*

Si * manus offendar te dextra, abscondito dextram,
Offendar si pes, abjice; Christus ait.
Corpus in errorem dexter si duceat * ocellus,
Ipse oculus peccans effodiendus erit.
Quilibet abscondi pars corporis aegra juberetur;
Excipiunt Medici Theologique caput.
* Marc. c. 9. v. 43. 1 v. 45. 47.

29 *Ad Georgium Archiepisc. Cantauriensem
gratulatio, 1611.*

Oxonium cito te Rectorem, Venta Decanum,
Pontificemque * urbes obtinere dux,
Venisti Londinensem cito Praeful in urbem;
Factus es Anglorum Metropolita cito,
Lectus es in triplicem cito, Rege vocante, Senatump
Quid superest optem quod tibi? Sero mori.
* Litchfeldia & Coventria.

30 *Ad judicem Decianum.*

Non volo te furdum, non mutum: te volo caecum
Non claudum: mancum te, Deciane, volo.

31 *Cæsaris Cæsari; Dei Deo.*

OMnis principium finemque habet æquas potestas,
 Fine caret solus principioque Deus,
 Indefinita est, non infinita potestas
 Cæsaris: in terris omnia nemo potest.

32 *Tria Sabbatha.*

SATURNUS, Sol acque Venus tria Sabbatha signant,
 Turcarum, Nostrum, Judaicumque vetus.
 Pallida Judæo est facies, & frontis imago,
 Plumbea; Saturno dixeris esse satum.
 Uxorum vir multarum, quo Sabbatha fervet,
 Elegit Veneris non male Turca diem.
 Quo Sol iustitia, mea lux, mea vita revixit,
 Solis apud nos est sola in honore dies.

33 *Ad Davidem Murray, equitem, II. Pr.
 ab interiore thalamo.*

CUi favet, hunc princeps incautus honoribus au-
 Huic sapiens, dignus qui sit honore, favet: (get:
 Principis hæc nostri est virtus insignis; amore
 Dignatur dignos: te, simileque tui.

34 *Passum, Volo, Nolo; Anomala.*

QUod volo, non possum, quod possum, nolo vicif-
 Tota hominis vita est nil nisi, Nolo, Volo. (sim:

35 *Patientia.*

VIncit qui patitur; potitur, potiturque petitis,
 Vincitur at semper fortuna quæ patitur.

36 *De gemisflexione, problema.*

CUM defertur honos demisso poplire, quare
 Unum vir, mulier torquet utrumque genu?
 Vir semel, at mulier bis serva creata videtur,
 Paret enim patri virgo, marito viro.

37 *Ad Gulielmum, Comitem Pembrochiæ
 Regi à Consiliis.*

NONdum ætate senex, juvenis nec moribus; ecce
 Te jubet esse suum Rex patriæque patrem;
 Quod te Rex tanto fuerit dignatus honore,
 Gratuler? an quod sis dignus? utrumque licet.

38 Ad

38

Ad Johannem electum Episc. Londinensem, 16: 1.

Destinat æternæ te Rex doctissimus urbi;
Te sibi pastorem urbs ambitiosa petit;
Sede vacante alii veniunt, de morâ peritum
Artis & ingenii præmia sacra sui;
Te Rex ipse vocat, vocat Archiepiscopus, ipsa
Te vocat Urbs, huc tu sede vacante venis.

39

De ortu & occasu.

Sole oriente, tui reditus à morte memento:
Sis memor occasus, Sole cadente, tui.

40

*Ad Petrum Junium, Scoto Britannum,
olim Jacobi Regis præceptorem.*

Nascitur indignè, per quem non nascitur alter;
Tu nasci, nosci tu, Petre, dignus eras.
Nempe tuo geniti tibi sunt de sanguine septem,
Corporis effigies ingeniique tui.
Doctorem, tu tor pater es, doctissime Juni,
Prudentum quot erat Græcia docta parens.

41

In Gaurum.

Stultus es & sapiens, quis credat, Gaurè? Secundum
Quid sapiens, Stultus quomodo? Simpliciter.

42

ST.

ST, quanquam tacitura silentia præcipit, edes
Tu sine vocali syllaba sola sonum.

43

Dictum Henr. Comitis Northamptonis,

UNI ET UNIVOCE.

UNIVOCE Britones servire docemur, ET UNI
Jacobo, qui nos UNIET UNIVOCE.

44

In Quintum somniantorem.

Audivi te sæpe querentem & mane dolentem,
Quinte, quod in somno nil ita cernis, ut est
Quid mirum, qui sola diu mendacia dicis,
Si nunquam noctu somnia vera vides?

45

*Ad Robertum Carum, Regi à
Consiliis, &c.*

Plebs huic raro favet quem carum rex habet, illi
Raro favent reges, quem leve vulgus amat:
Ardua res, Carum esse simul Regique gregique,
Te vehit aura duplex; Rex, populique favor.

46 *In quendam Hypocritam.*
Nescit, ais, mea lava manus quid dextera doner.
 Credo, quod omnino dat tua dextera nihil.

47 *I. Lipsii obitus 1606.*
Sæcula post sex atque decem sexq; infuse rannor,
 Clausisti criticum, Juste dolende, diem.
 Viderunt hoc lucem anno mea carmina, quo tu
 Mortuus es Lipsi, Nox tua nostra Dies.

48 *Thomæ Overbury, Equitis poemâ ingenio-
 sum, de uxore perfecta.*
Uxorem Angelico describis carmine talem,
 Qualem oratorem Tullius, ore potens.
 Qualem describis: quævis tibi nuberet uxor,
 Æqualis tali non foret illa viro.

49 *Locatio beneficii.*
Quod bene sit puero, perit; obliviscitur ille;
 Decrepito quod sit, non perit, ipse perit,

50 *Jus ambiguum.*
Legista & Medicus sunt Juris uterque periti;
 Hic ægros, alter jurè tuetur agros.
 Jus dare cuique suum didicit Legista clienti;
 Ægrotò Medicus jus dare cuique suum.
 Jus Legistarum quid differat à Medicorum
 Jure rogas. Siccum est illud, at hoc liquidum.

51 *Ad Henric. Principem 19. Febr. natum.*
*Anno * 1594 * Omen Aureum 1611 19 Jun.*
Jam decimo nonoque ætas tua currit in anno:
 Qui numerus, felix, † Aureus, omen habet.
 Hic tibi nam, si me non fallunt omnia, secum
 Aureus * ingentes asferet annus † opes.
 * Figuræ numeri 1594. per additionem Arithmeti-
 cam reducuntur ad numerum aureum, id est. 10
 V. G. 1. 5. 9. & 4. si addantur, efficiunt 19. * 19
 † Aureus versus.

52 *Ad Regem.*
In decimo nono Jubileo ætatis obivit.
 Qui post diluvium vixit & ante, Noë,
 Si mea vota valent, jubileos quod Noë vidit,
 Secula tor vives; Tu * Noë noster eris,
 * Rex ante & post unionem Britanniz.

§3 *In quendam parcum.*

TE laudo laudatorem, non laudo datorem;
Scit laudare magis nemo, minusve dare.

§4 *De Thoma Moro, Angliæ olim Cancellario,
Ad Thomam Baronem de Ellesmer,
Angliæ Cancellarium.*

Integritas morum Morum commendat, & ardor
Ingenii, & docto dukis in ore decor.
Te quoque cor sapiens, gravitas, & gratia vultus
Eximit è populo, conspicuumque facit:
Totius integritas vitæ sine labe peractæ
Te Moro æqualem moribus esse probat.
Exicipias Mori casus, & flebile fatum,
Et causam mortis; cætera Morus eris.

§5 *Natura brevium. Ad Lectorem.*

Commentent alii proluxa polysitica: curtum
Distichon, ut munus, me brevitate juvat:
Omnibus in rebus, non solum epigrammata, Lector,
Quodcumq; est bellum, dulce, bonumve, breve est.

§6 *Duces uxorem, & alius dormiet cum ea
Deut. c. 19.*

Impleta in nostris hæc est scriptura diebus.

§7 *Britannicæ unionis patria.*

* **A**utorem Monadis tulit insula † Mona Britannæ.
Fortunata Monas filia, Mona parens.

* **A**udonem Theodorum Hentici septimi avunt
† Anglicè, *Anglesey*, Britannicè *Mon.*

§8 *Ad Jacobum Regem doctissimum.*

Esse bonum res est, me iudice, rara Poëtam:
Esse virum, res, me iudice, rara, bonum:
Esse bonum, res iudice me, rarissima, regem
Tu tamen es vates, vir quoque, Rexque Bonus.

§9 *In Cottam.*

Præceptum observat Paulinum in conjugè Cottæ,
Cottæ habet uxorem sic quasi non habeat.

60 *Tam Marti, quam Mercurio.*

Neptunus Baccho, Marti jungatur Apollo,
Mitefcit studio Mars, ut Iacchus aqua.

- 61 *Ad Ioannem Harington, Equitem, Ioannis Harington, Baronis de Exton unigenitum.*

EXercet inter se in te certamen honoris
Nobilitas, virtus, ingeniumque tuum.
Hæc trita cum spectro, verear cur dicere verum?
Jane tibi juvenem vix alit Aula parem.

- 62 *Sorsilegium. The Lotterye. Galli * la Blaque appellant.*

* Omnis res denominanda est à majore parte.

HUc quicumque venit, fiet in albo, ridet in atro
Lugenti porius convenit iste color.
Candida cur damnum fert charrula, nigra lucellum?
An quia divitias Dis dat? At hic niger est.

- 63 *Ad Calibem.*

EST bona res Uxor, melior Bona, ar optima Nulla
Contingat nobis Optima, Nulla tibi.

- 64 *In Cottam nugonem.*

SERja dum tractas obiter tu, serio nugas;
Serjo stultescis, Corra, obiterque sapis.

- 65 *In Patrum.*

CRrua Patre geris; fuerit quis, quaeritur, autor
Ex dono auctoris, scribitor, quisquis erat.
Aut dono auctorum; lunatae inscribitur fronti,
Auctores semper res habet ista duos:

- 66 ΔΕΛΤΩΤΟΝ.

HUMANæ vitæ scopulus ante omnia Deltas
Tres fuge: Divitias, Dæmona, Deliciae.

- 67 *Furca, ad P. L.*

LATronum finis funis, mors ultima merces;
Furca capit fures; hinc pura nomen habet.
At multi evasere; dabit Deus his quoque funem:
Rarus funesto fur sine fune perit.

- 68 *De ingenio muliebri, problema.*

CUt minor uxorum est, marium prudentia major
Eva fuit costæ filia, non capitis.

- 69 *Minerva Eva.*

ORRa Jovis cerebro nulli Sapiencia nupsit;
Nupsit at è costâ conjugis orta sui.

70 *In Helium.*

JURISCONSULTOS multos injuria dicat;
Helius immensas jure paravit opes.

71 *Unionis Britannicæ Statu.*

Ad Regem.

INSULA lana fuit sub Elisa principe, sub Te
Neta, sub Henrico denique pannus erit.

72 *An Bacchus sit Deus.*

Ad Germanum.

NONNE VIDES, ut, cum vos dulcis inebriat humor,
Summa quatit caput Bacchus & ima pedum?
Ex altando pedes humiles, de sede superbum
Dejiciendo caput, se probat esse Deum.

73 *Ad Thomam Chalonerum equitem, II. Præ-
cipis Camerarium.*

ARTIBUS à teneris imbute fideliter annis,
Principis evexi quem, Chaloner e, favor;
Te, (tu nam tenues non aspernaris amicos,)
Non quia sis tantus, sed quia talis, amo.

74 *Ano, vocis Fæstiva, Amer Adroæ.*

QUISQUIS amat, servit; dominatur, quisquis amarum;
Quisquis amat, patitur; quisquis amatur, agit.

75 *In Julium pseudomachusum.*

JULIUS in mundo non est; at in undus in illo est:

76 *Sacerdos & populus.*

PRESBYTERII labiis orant, Laicæque laborant.
Plèbs, dum pro populo Presbyter orat, arat.

77 *In Julium 11.*

ECCEDUO gladii, Christo Petrus ensifer inquit:
Ecce duæ claves, ô Petre, Christus ait.
Deposuit Petrus gladium, clavesque recepit:
Deponis claves Tu, gladiumque rapis.

78 *Similis similem.*

FOEMINA quæque marem repetit, sed diffinit quana-
vis;

SIT quamvis nebulo Davus, habet Dominum.

Nosce teipsum.

79

Ethica jungatur Physicæ, re noscere si vis;
Hæc doce imperium corporis, illa animæ.

80

Æquitas Mortis.

Lumina fluminibus distant. Sic nos quoq; nobis,
Dum fumus in vita nos, fluvii que via.
Ingressis pelagum sapor amniou; omnibus idem:
Mors omnes homines æquat, ut æquor aquas.

81

Ad Thomam Button, 1612.

Apenitus toto divisis orbe Britannis,
Missus ad occiduum, quod bene verat, iter,
Quærito & invenies gelagi mysteria magni,
Principis Henrici. Fata viam inveniunt.

82

In Gelliam fucatam.

Dissimilis picturæ tibi est tua, Gellia; constat
Pictura similem te tamen esse turæ.

83

Certamina Magorum.

Parmensis magico magus in certamine nuper
Ant, ivit cunctos, Dæmonis arte, magos.
Scottus enim pactum Parmensis Dæmonæ fecit,
Cumque sciente magis, cumque potente magis,
Haud secus in magnis regum qui militat aulis,
Sub Domino servus mira potente potest:

84

In Russum Hypocritam.

Devotos, inquit; facit ignorantia; primum
Inter devotos do tibi, Ruffe, locum.

85

Ad Anglos problema.

Gallo, Hispano, Italo parvi cur penditur uxor?
Gentibus his Mulier nulla viderur * Homo.
* Hommes, Femmes: Hombres, Mujeres:
Huomini, Donne.

86

In Cinnam Medicum.

Tollere scis morbos, ar quomodo? tollis & ægros;
Quodque facis (Judas ut) cico Cinna facis.
Qui tuus est Patiens, ô terque quætorque beatum!
Ægrotare illum non patiere diu.

87

Habemus unum Advocatum in Cælis.

Causidicum in cælis unum (inquit Paulus habe-
Præter eum num qui sunt ibi Causidici? (mus:
88 Ad

Ad aetate juvenem, moribus senem.

Cur podagra insequitur juvenem te Martis alumnum.
Mularumque senum quae solet esse comes?
Error hic est morbi; morum gravitate senilem
Te simul ac vidit, credidit esse senem

Ira brevis furor.

Sit brevis ira licet, non expedit esse furorem;
At quoniam furor est, expedit esse brevem.

*Ad Hauricum * Goodyeere, equitem,
Kal. Jan. 1610.*

Quid tibi pro strena mittam Goodyeere? precabo,
Ut possis nomen multiplicare tuum.

Amor a Civis & passivus, ad Pontium.

Scire cupis, quid amare ab amari distet? Amari
Pontia me tantum credo: ac amare scio.

Ad Principum.

Mens mea nil praeter generosum somniat aurum
Felix sum tota nocte, dieque miser.
Auxiliatricem Princeps mihi porrigit dextram,
Sic ego non sola nocte, beatus ero.

*Divisio Arithmetica, ad I. S.
mercantorem. 1607.*

Divide nil: dum vivis, egentes inter amicos,
Mortuus invenies in Quotiente nihil.

Pediculus aulicus.

Blandus adulator per totam cursum aulam.
Principis inprimis nobiliumque fores;
A pedibus sic nomen habens mala bestia totum
Inscitat corpus, praecipueque caput.

Aesculapius trifrons.

Intrantis Medici facies tres esse viderur
Aegrotanti; Hominis. Daemonis atque Dei.
Quam primum accessit medicus, dixitque salutem;
En Deus, aut Custos Angeius, aeger ait.
Cum morbum medicina saugaverit, Ecce homo, cla-
cum poscit Medicus praemia; Vade Satan. (mat.)

In Galateam.

Cervus, uti perhibent, mutat ramosa quotannis
Cornua: quotido vir, Galatea, tuus.

Aqua & Terra epithalamium.

97
Nulla nisi in terris generatio fit vel in undis:
 Unuit ergo sagax hæc elementa Deus.
 Ut nihil humano generi generabile desit,
 Terra superfusa subjacet uxor aquæ.
 Uxor Aquæ Tellus, Aqua Terraque sunt globus unus;
 Res bene conveniunt vocibus Humor, Humus.

98 *De iisdem.*

Cur fluit ex terra, terram circumfluit Humor?
 Ne quam terra sitim sentiat, unda famem.

99 *Mors in olla. Ad Criticos palatinos.*

Ut verbum vetus inquit, in olla est mors; an in
 *aula?
 Nam Veteres; Plauto teste, loquuntur ita.
 *Veteribus latinis, olla & aula idem sunt.

100 *De dituio, duplex problema.*

Cur pisces assimilant sanum *proverbia? merse
 Gentibus, hæc tantum notio salva natat.
Cætera submersit; cur piscibus unda pepercit?
 Ne sobolem mater perderet ipsa suum.
 *Sp found as a fish.

101 *Carbo ligneus.*

Natus in igne fui, periturus in igne vicissim?
 Sylvas absumsi, dignus in igne mori.

102 *In Gelliam.*

Ateneris Papista fuisti Gellia: pejor
 Papista nunc es, quomodo? Catholica es.

103 *In Aulum.*

Seu gravior lecto morbus te affixerit, Aule,
 Sive cavus doleat dens, stupidumve caput.
Outinam in cælis essem tibi dicere mos est:
 Dicunt hæc edes non minus, O utinam!

104 *Mulier quale animal.*

Sensu intacta caret virgo; dum nupta maritum
 Sensit, habet sensum, sed ratione caret.

105 *Ratio & Oratio.*

Rhetorica est palmæ similis, Dialectica pugno;
 Hæc pugnat, palmam sed tamen illa retet.

136 LIBER PRIMUS.

106 *Testes.*

AN quia testamur sexum, sic dicimur? an quod
Nequitia testes adsumus ambo tuæ?

107 *In obitum Henr. Cuf. 1600.*

DOctus eras Græce, felixque tibi fuit Alpha?
At fuit infelix Omega, Cuisse, tuum.

108 *In Festum.*

UXorem jam Feste senex vis ducere? doctam
Angligenæ Lili consule Grammaticam:
Illic invenies indeclinabile Cornu;
Hunc scopolum pauci præteriere semes.

109 *Thomas Morus.*

Quid de se fieret, meditans in cracere Morus,
Inspicer uriam: nil ibi triste videt.
Utinam Regis potius lustrasset; in illa
Vidisset mortis turbida signa suæ.

110 *In Corne sum.*

CORNURUM, te Corneli, scis esse, taceque:
Non Cornelius es tu modo, sed Tacitus.

111 *Triplex mendacium* { *Dictum.*
in Tullum, { *Fictum.*
 { *Pictum.*

SCulptorum est mendacia fingere; pingere, munus
Pictorum; cujus dicere, Tulle? tuum.

FINIS LIBRI PRIMI.

EPI

EPIGRAMMATUM
JOANNIS AUDOENI
CAMBRO-BRITANNI,

Ad HENRICUM Principem,
LIBER SECUNDUS:

1 *Ad Henr. Principem Wallie, Opt. Max.*

OPrima det tibi velle Deus, verissima scire:
Hæc cuicunque dedit * maxima posse dabit.
* Magnum esse bonum est; Doctum, melius; Bo-
num, optimum.

2 *Ad Jacobum Magnæ Britannie, Franciæ, Illi-
berniæ, &c. Regem Opt. Max.*

OMnia formidant, formidanturque tyranni:
Semper habet comitem vis metuenda metum,
Cur metuas causæ nihil est, Rex maxime regem,
Optime Rex, causæ est, cur metuare, nihil.

3 *Hysteron, Proteron.*

Hysteron est Proteron præpoëtera forma loquendi:
Exempli causa: Cant. Brigia Oxonium.

4 *In decrepitem tertiam uxoris virum.*

PRima tibi Clorho, Lachesis fuit altera-conjux:
Atropos est vitæ tertia nupta tuæ.

5 *Amor.*

Libertas, carcer, pax, pugna, dolenda volupras
Spes metuens, mel, fel, seria, ludus, Amor.

6 *Minos.*

Qui pro justitia poscit sibi Munera Minos,
Est similis pisci, quando capit, capitur.

7 *Dubitantius.*

Suspicio alterutrum, scio neutrum, utrumque pa-
ratus
Credere; Phœbus erit, qui mihi dicet, utrum.

8 *Ad*

138 LIBER SECUNDUS.

8 *Ad Adam, Newton, II. Principia à Secretis.*
MOres mutat honos hominum plerumq; priores,
 Moris id est; non est mos tamen ille tuus.
 Mutatus non muraris; mirabile, tradunt
 Se Fortunæ alii, traditur illa tibi.

9 *Ad Thom. Puckering, Equitem & Baronetum*
CARE, tuum, Thoma, si fas tam prisca referre,
 Ingenium colui nobile primus ego.
 Doctior ego, Pukringe, fui tuus, Optime, primus?
 Non sum quod fueram, sum tamen usque Tuus.

10 *Tres haustus.*
PRæteritam primus, præsentem proximus haustus,
 Venturam exstinguat tertius iste sicim.

11 *Enigma duplex.*
DIE mihi quæ fuerit, matri quæ * filia nupsit?
 Cujus erat † mater mascula. Nemo * pater?
 * Eva † Adamus, * Deus.

12 *De fide, Anagramma quintuplex.*
RECTA FIDES CERTA est, ARCET
 mala schismata, non est.
 Sicut C R E T A, fides fictilis: arte C A R E T.

13 *Ad Edoarum Coke, equitem, jurisprudentissimum Judicem, &c.*
NATURÆ notum tibi jus, naturaque juris;
 Lis, & uterque tuo pendet ab ore cliens.
 Descripto responsa Britannus Apollo dedisti.
 Clara magis, quam quæ Delphicus ore dedit.
 Præsentem dirimis lites, tollisque futura
 Jurgia, præsentem voce, futura manu.

14 *Instrumentum Mathematicum, vulgo dictum A Jacobs Stasse. Ad Mathematicum.*
JACOBI baculum tibi sumito; da mihi * scalam,
 Monstrabit baculo plus mea scala tuo.
 * Jacobi Scala. Gen. c. 28. v. 12.

15 *Sitas Terræ.*
TERRA fiat æternum, Salomoni credere si fas;
 Si fas Nasoni credere, Terra fedit.
 Fessa vacillaret tandem, si Terra federet;
 Si stare, caderet; quid facit ergo? jacet.

16 *Ad prudentem & fortem virum, Henr. Davers, Baronem de Danzjay.*

In te fortunam virtus, prudentia casum,
Servilem superat spes generosa metum.
Te sequitur Fortuna comes, prudentia ducit;
Nulla (nisi excipiam Numinis) arma times
Pergito tu, quocumque vocat Rex: Te duce victor
Miles erit; Dux te milite victor erit.

17 *Epitaphium mortis. Ad mortis mortem.*

In cruce mors obiit: nunquam de morte resurget;
Mortis erat stimulus mors tua; crux, tumulus.

18 *De Papa & Luthero.*

Papa pater multas indulgentissimus unus
Ex purgativo liberat igne animas.
Martinus Papis pater indulgentior unus
Omnibus est: omnes eximit inde Luther.

19 *De Deo & homine.*

Ipse Deus verbum est; facit Deus omnia verbo:
Verba homines facimus, nos quoque verba sumus.

20 *Ad Georgium Carerum, Equitem, praefectum curia pupillorum, 1612. Jun. 13.*

Dum pupillorum commendat Rex tibi curam,
Se meriti curam monstrat habere tui.

21 *De jejunio.*

Papa suo cur tot jejunia servat in anno?
Ut successorem se probet esse * Petri.
* Piscatoris.

22 *Metamorphosis nova.*

Efficiunt hominem vir & uxor amabilis unum;
Sic homo fit quadrupes, qui fuit ante bipes.

23 *In non-nullam.*

Nervum inflammaſti Fabiano; jam Fabianus
Dicere jure potest; Uror amore tui.

24 *Aurum ex stercore.*

Conductor fornicarum ex stercore colligit aurum;
Et duo praeterea, Rusticus & Medicus.

25 *Fronti nulla fides.*

Uxoris crimen scriptum est in fronte mariti:
Vir tamen est calamus, foemina charta viri

140 LIBER SECUNDUS

26 *Ad Guil. Ravenſcorft, J. C. calibem.*

Coeleſtem vita degens in caſtibe vitam.
 Quod poſſunt pauci, tu potes eſſe tuus.
 Cognati natorum inſtar tibi ſunt, & amici;
 Dum tibi cognatus ſim vel amicus ego.

27 *Hiſtoria hujus temporis.*

Lex fuit hiſtoriae vetus haec, ne dicere falſum
 Audeat; & verum dicere ne metuat.
 Haec eſt hiſtoriae nova lex; ne dicere verum
 Audeat; & falſum dicere ne metuat.

28 *Dor formoſe.*

Formoſam nudam volo; nudam non volo formam;
 Quæris cum forma quid volo? materiam.

29 *Virgo Gallica.*

Gallica virginitas parvarum eſt propria virtus;
 Virginis hic titulum ſola * Puſilla gerit.
 * *Fucelle Galli virginem vocant:*

Virgo Anglica.

Ne quid vicinis conceſſerit Anglia Gallis;
 Anglica quæque fere virgo Platonis homo eſt.

30 *In Nohilam novum.*

Mater erat netrix, pater in mare retia jecit;
 Inde tuum decroat linea longa genus.

31 *Ænigma Penelope ad procum.*

Eſt* quiddam quod pene neſas mihi dicere verſu,
 Hoc tibi vis totum. Pontiliane, dari.
 Syllaba prima meo debetur tora marito:
 Sume tibi reliquas, non ero dura, duas.
 * *Oſculum.*

32 *Bias.*

Omnia qui dixit mea mecum porto, videtur
 Uxorem ſapiens non habuiſſe, Bias.

33 *Chryſoſt. Grætuſ, ob Henr. Savello Equite,
 doctiſſi, correſtiſſime editus Æt. me.
 Ad Henr. Savellum.*

Vitam in carne pius primam Chryſoſtomus egit;
 Nunc vitam, exutus corpore, mentis agit.
 Vivit & in ſcriptis Naturæ debita matri
 Prima, ſecunda Deo, tertia vita tibi.

34 *Philæ*

34 *Philosophi uxor.*

Vulcani formosa Venus, Jovis inclita Juno
 Uxor erat, nulli nupta Minerva viro.
 Cur ita? Pallas enim cum sit Sapientia: nulli
 Nubere vult homini: cur? quia nemo sapit.

35 ** Propria quarto modo.*

Mentitur quisquis Communem Thaida dixit;
 Thaida semper habet solus & omnis homo.
 * Omni homini, soli & semper.

36 *Scultorum par.*

Claudius est * multo similis, Gorgonius † hinne:
 Quod sit iners matri debet hic: ille patri.
 * Ex equa & asino fit mulus, † ex equo & asina
 hinnus. Var. de re Rust. l. 2.

37 *Ad Edoardum Sackeville, ex Gallis reducem,
 Conitis Dorcestriae unicum fratrem.*

Ingenium Natura domi tibi provida mater,
 Consilium peregre resque locisque dedit.
 Sirenum fugiens cantus & pocula Circes,
 Unde redis senior, fanior inde redis.

38 *De Melotypia Anglico-Gallico-Italica.*

Ut Itali longe gravius quam Gallus & Anglus
 Uxorum lusus, oscula, furta ferunt;
 Bestia peior ave est, cui nupsit adultera conjux:
 Italus est * quadrupes, Gallus & Anglus † aves.
 Gallus & Anglus aves quadrupes est Italus? ergo;
 Ex tribus his solus cornua fert Italus.
 * Becco cornuto, hircus. † Un Cocu. Gal.
 Angl. A Cuckold, Cuculus.

39 *Sapientia Socratica.*

Omnia, me, dum junior essem, scire putabam
 Quo scio plus, hoc me nunc scio scire minus.

40 *Mensa rotunda Regis Arthuri.*

Inscribi septem Sapientum nomina iussit
 In tereti sapiens Delphicus orbe Deus.
 Sic Arthure sagax, eques unusquisque tuorum
 In tereti mensa primus & i mus erat.

41 *Subsidium.*

Regem anima & nummis Ecclesia, corpore vulgus
 Nobilitas opibus corporibusque juva.

N

42. N6.

Novus Orbis.
Nescio quot Cabalistarum schola mystica mundos
 Asserit; innumeros esse Epicurus ait.
 At bene si numeres, duo sunt: rerum ille vêtustus,
 Verborum, in quo nunc vivimus orbe novus.

Janus bifrons.
Ingenii virtus reminiscendique facultas,
 Iste quod à tergo est, illa quod ante, videt.

Corpus Terræ.
Telluris lapides sunt ossa, metallaque nervi,
 Pellis crusta, pili gramina; sanguis aqua.

Ad Pannicum de Mauro.
Inter te dominamque tuam sua, Pannice, Maurus
 Dividit; uxori res, tibi verba dedit.

*In Paulam Anglicam fucatisimam
 fammam.*
Fucata facie, fucosis fallere verbis
 Mos tuus, in fucò fanda nefanda facis.
 Ignavum fucos pecus à præsepibus arces,
 Paula, tamen tuus est quid, nisi fucus, amor?

Medicus & J. C.
Dat Galenus opes, dat Justinianus honores,
 Dum ne sit Patiens iste, nec ille Client.

*Ad Edoardum Wotton, Baronem, Regi
 à Consiliis, &c.*
Mortuus est, cessitque loco cultissimus Heros,
 Qui fuit arbitrio Palladis, ante tuus.
 Non erit hoc, Edoarde, loco te dignior alter;
 Te, Wotone, locus dignior alter erit.

Anagramma: Galenus, Angelus.
Angelus es: bonus anne malus, Galene? salutis
 Humane custos? Angelus ergo bonus.

Amor cæcus male audit.
Non videt uxoris delicta maritus amator:
 Nullus amat vere vir, nisi cæcus amat.
 Nil oculo contra dominam, nil creditur auri;
 Est igitur furcûs, non modo cæcus, Amor.

In Dindymum mercatorem.
Aris Arithmetice didicisti, Dindyme, partes
 Tres primas: quartam discce, beatus erit.

52 *Anagramma uxoris.*

Insaturabile per sunt * orcus & uxor : ait Rex,
Unius experiens, alteriusque scieas.

* Prov. c. 30. v. 15.

Quisquis in uxorem cecidit, descendit in orcum :
Rite inverfa sonant *Uxor* & *Orcus* idem.

53 *Responsio.*

Nuncupor *uxor* ego, non sim quasi conjugis *oreas* ?
Sed quia per totam sedula *urfo* domum :

In Muliere vir est, ut in orco Belzebug : ergo
Infernus si sit femina, vir Satan est.

54 *Religiosus.*

Quod bene fit, male fit, nimium si fiat aperte ;
Politicus.

Occulte dum fit, quod male fit, bene fit.

55 *Tres Divae.*

Juno casta, Venus meretrix ; virgo optima Pallas.
Est inter Divas rara Minerva duas.

56 *Proteus Anglicus.*

Utilia hæc ætas in amicu & honesta relinquit.
Nos jucunda juvant sola ; diuque nihil.

57 *Duo protegit unus, dictum II. IV.**Regis Francorum.*

Gallorum Rex regna, inquis duo protegit unus ;
Protexere tuum nec duo regna caput.

58 *Ortus & situs Solis.*

Sol inter septem quartus mediufque Planetas :
In quarto & medio Sol situs ut * factus est.

* Quarto die creatus Sol.

59 *Cæsar, Pompei & Crassi sepulera.*

Africa Pompei tellus, Asiatica Crassi,
Tertiâ pars mundi Cæsar's una fuit.

60 *Ædes urbane Urbanissima, Henr.**Comitis Northamptonie.*

Arguit affectus domitos, mentemque polite
Compositam domini, compositura domus :

N 2

Insanas

Insanas quicunque struunt ex tempore moles,
Exemplo discant ædificare tuo.

61 *Ad Oranum.*

CONNUBIO jungam stabili propriamque dicabo,
Sæpe tibi dives dixit, Orane, focer:
Connubio nimium stabili tibi jungitur uxor,
Instabilis cum sit, quem proficitur, amor.

62 *In Felicem.*

PER totam Felix holosericus ambulat urbem,
Qui vix toto urbes vidit in orbe duas.
Qui mores hominum multorum vidit & urbes,
Mendicat panem pauper, in urbe sua.

63 *Fr. Drake.*

AMBITIO Draki nullo retinebitur ævo:
Ambivit Terras, per mare, Drakus Anas.

64 *Homo.*

NIHIL fueras, sed nec potes hoc meminisse, prius-
quam
Natus eras; ali quid cum morieris, eris.

65 *De Phæbo & Neptuno.*

SOL celer est, at Sole tamen velocius æquor:
Itque reditque die Sol semel: at mare bis.

66 *Uxor vi(n)ta.*

VINCITUR nisi lingua prius, non vincitur uxor:
Uxorem solus qui super-it, superat.

67 *Nuda veritas. In Alethum.*

SIPESSET Virtus (inquit Plato) nuda videri;
Mirus in hanc hominum conciperetur amor.

Vidit apud Venetos (si credere fas sit) Alethus.

* Virtutes nudas, & vitia vitæ

* Quatuor meretriculas, virtutum nomini-
bus insignitas.

68 *De Bassho & Byrrhis.*

AUDATUR vinum simplex, cerevisia duplex.
Est bona duplicitas: optima simplicitas.

69 *In Gelliam.*

Gellia Materix res una simillima primæ :
Hæc omnes formas appetit, illa mares.

70 *In Papilum canos ecellentem.*

Nil opus est capiti canos evellere crines,
Papile : Gracari pergito ; sponte fluent.

71 *Ne sitis multi magistri.*

Discipulus dum vult nemo, quisque esse Magister ?
Omnes discipuli, nemo magister erit.

72 *Ad Henr. VIII. Fidei Defensores.*

Hunc titulum Regi Florum Regique Leonum
Florentinus homo dat tibi Papa * Leo.
* Leo X. natione Florentinus, anno 1521.

73 *Ad L. P.*

Cum titulo gladium Regi Leo Papa, dedisti:
Te negat hoc titulo Rex, gladioque necat.

74 *Superbia vice.*

Ex humili licet ortus homo tellure, tumescit:
Sic licet ex nihilo nata, tumescit humus :
Sic homo, sicut humus, supra se tollitur ipsum :
Monte superbit humus : mente superbit homo.

75 *Ad Garenum Taunsend. J. C.*

Non tua se ad scenam componit lingua forenssem,
Non tua vox querulo prostat avara reo.
Naturæ contemplaris mysteria matris :
Scripturam, leges, historiamque legis.
Tres Charites, septemque artes, rer tresque forores
Te prohibent causas dicere : nosse docent.

76 *Genesis & Euangelium S. Matthæi.*

Explicat hic Christi Genesisin liber, alter Adami:
Incipit à Genesi Lex & Euangelium.

77 *Quidam nemo.*

In factis homines Animas Ebræa verustas
Appellar : tanquam nil nisi mens sit homo.
Nemo Anglis *Nobody* est, & *Quidam Sombdy*, tanquam
Anglicus ex solo corpore confect homo.

78

Amatorium.

SI tu Zodiacus fieri, mea Lesbia, velles,
Hac ego Sol fieri conditione velim.
Zodiacum in toto percurrit Sol semel anno;
Ast ego te quavis, Lesbia, nocte semel.

79

Ad librorum Castratores.

Qui sapicis, nolite meum castrare libellum,
Gignat adhuc alios ut liber iste libros.

80

In Gelliam Aulicam.

Gella dic sodes, multis cur prodiga praestas
Uni promissam remque fideinque viro?
Mos verus est, & adhuc nostra servatur in aula,
Pluribus ut pateat clavibus una fera.

81

Ex & serpentis Conciliabulum.

Peccatum peperit sermo serpentis & Evæ,
Ille utinam mutus, surda vel ista foret.

82

Ad Robertum Jonstone Scoto-Britannum.

Ingeni Jonstone tui sum factus amator,
* Historix legerem dum monumenta tua.
Nil magis ingenuum, nihil ingeniosus extat
Tergeminæ Britonum gentis in historia.
Excipias unum Morum de Rege Ricardo;
Nemo Britannorum dignior invidia.
* Nondum in vulgus editæ de rebus Britannicis &
Hibernis sui temporis.

83

De seipso.

Sum fateor, doleoque minorum ex ordine fratrum,
Frater, opes patrias & bona, major habet.

84

*Vende omnia que habes; & da pauperibus.**In Petrum.*

Consilii partem servasti, Parte, priorem,
At pars neglecta est postera tota tibi.
Nam venum bona cuncta dedisti: eademque dedisti
Aut Veneri aut ventri; pauperibusque nihil.

85

Nec } *ex malis minimum,*
 } *ex bonis maximum.*

Optima sit quamvis, uxorem nolo gigantem:
Uxorem nanam nolo, licet mala sit.

86 *Sire-*

86 *Sirenium cantus.*SIRENUM cupis incolumem servare salutem,
Sirenium cantus esugere sanus eris.87 *Epistola amatoria.*NULLUS amor sine spe, dubius qua vivit amator,
Nulla placet sine re spes mihi; res sine te.88 *Amor cecus.*EBRIETAS & amor similes; extinguit uterque:
Corporis, ebrietas lumina, mentis, Amor.89 *s. T. Druvis Testamentum.*OMNIA das, quia nil potes hinc auferre; dedisses,
Si recum posses omnia ferre, nihil.90 *Aër, Aqua, Terra, Infernus.*TERRA superiorum sordes immunda receptat:
Terræ immundities Ore us in ima trahit.Quicquid in orbe mali est, aliquando fretur in or-
cum.

Fertur ut in centrum quicquid in orbe grave est.

91 *Zodiacus Christianus.*COETUS Apostolicus, cælestia sidera bis sex;
Zodiacusque Fides; Sol mihi Christus erit.92 *Erasmi encomium Moria.*STULTITIAM non ut laudasti solus Erasme;
Te laudant multi; stultitiamque tuam.93 *In Gymnicum pastorem.*PASCIS oves verbis, te, Gymnicæ, grex alit herbis,
Scis decimare agrum, non medicare gregem.94 *In Dardanum.*PALLOR in ore solet, macies in corpore toto,
Dardane: nil in te est pingue, nisi ingenium.95 *Placitum anno 1609. inter Rob. Calvin.**Actorem, & Joannem Bingley, &
Ricardum Criffin Reos.*CUM post-natorum lis est agitata, Robertus
Jacobi vicit filius, omnia habet.Quod fuerit reus Anglicus alter, Wallicus alter,
Storus utrumque actor vicerit, omnia habet.

Omen amo ; Britones jungent jam pectora palmis ;
 Non erit in partes insula secta duas.
 Post-nati natorum & qui nascuntur ab illis,
 Grex pastoris erunt unius unus , Amen.

96 *In discordias nostri temporis.*

Dēdit Logicus res , non modo dividit ; At nos
 Nil definimus, Omnia, dividimus.

97 *Ex malis moribus bona leges.*

Cōditor infanti legem præscripsit Adamo,
 Moribus ergo malis lex fuit una prior.

98 *4 Articuli Fidei. 1, 2, 3, 4.*

U Num crede Deum, duo Biblia, symbola terna;
 Quarta Concilii quattuor adde fidem.

99 *Ad II. Principem.*

U T visum fugit ursa leonem magna minorem,
 Maxima spes minima re veniente fugit :
 Spes mea Te spectat, fortunatissime Princeps :
 Tu mihi spem misero colle, beatus ero.

100 *Ad Lectorem.*

E Xuo Narcissum, quoties Epigrammata scribo,
 Exuat hunc, quisquis carmina nostra legit.

FINIS SECVNDI LIBRI.

EPI.

EPIGRAMMATUM
JOANNIS AUDOENI

CAMBRO-BRITANNI,

Ad CAROLUM EBORACENSEM,

fratrem Principis, filium Regis.

LIBER TERTIUS.

1 *A Jove principium.*

PRincipium Deus ipsum: In principio Deus ipse,
Et post principium, principioque prius:
Principium sine principio est: A principio istud
Principium capiunt omnia principia.

2 *Ad Lectorem.*

Carmine vestitos præmissimus ante libellos:
Qui sequitur: nudus non venit, ecce, liber.
Siqua manent, meliora puras: Tu candide Lectos
Quod speres, Autor quod vereatur, habet.

3 *Ad Carolum, Ducem Eboraci.*

Altera spes regis, regni spes altera, solo
Principe Cambrorum, Carole Magne, minor.
Consiliis Fullertoni doctique Moravi
Uttere: consilio Dux duce semper eget.
Esto quod es, patri similis, fratrique secundus;
Nemo tibi similis, nemo secundus erit.

4 *Ars memoriae.*

Simonides olim memorandi repperit artem;
Nullus adhuc artem repperit ingenii.

5 *Res, nomen, & verbum.*

Omnipotens omnes res condidit; indidit illis
Nomina vir; mulier denique verba dabit.

6 *Re.*

6

Redemptio, & Regeneratio.

NOs Satan à muliere emit, Christusque redemit;
Christus nos lavit, quos maculavit Adam.

7

Liberalitatis laus.

QUod datur, æternum durat, sequiturque datorem:
Dantem & captantem, munus utrumque juvat.

8

*Bibliotheca nova Oxoniensis.**Ad Lectores.*

QUæritis Auctores? coram quem quæritis ad sum,
Quisque in classe sua classicus autor ait:
Tanti operis, quantum reliquo vix exstat in orbe,
Quæritis Autorem? Bodleus autor erat.

9

Ad Academiam Oxoniensem.

NULLA tuz par Bibliothecæ est altera: nulla
Ingenio par est Bibliotheca tuo.

10

Ad Annam Reginam.

EST soror, & conjux, genitrix, & filia Regis:
Addere quid titulis possumus, Anna, tuis?
Quattuor his titulis virtutes quattuor addis:
Addere virtuti nil potes, Anna, tuz.

11

Ad Elizabetham, Regis filiam, &c.

MULTorum, longa serie, de sanguine regum,
Regis digna toro, Cæsare digna viro:
Si, Te dum dignus ducat vir, virgo manebis,
Fas tibi, perpetua virginitate frui.

12

Sermo & Scriptura.

INTerpres linguæ manus est, at muta loquentis:
Pectoris ut muti nuncia lingua loquens.

13

Novus Homo.

QUod superest, de pelle tua depelle vetustum,
De cute peccati decute triste jugum.

14

Anagramma salutare.

OPro tibi multam, nullam tibi Poto salutem;
Est potior pota sicca salute salus.

Fructus vetitus.

15 **N**udus Adam vetita quod vulsit ab arbore, malum
Haud fuit, at malo pejus? Origo mali.

16 *Kal. Januarii.*

Tros inquit; timeo Danaos & dona ferentes.
Quis Danaus? pauper, Tros quis? avarus homo.

17 *In Alconem,*

Non habet Alco fidem; nummum vult credere
nulli.

At credunt omnes illi, habet Alco fidem.

18 *Ad Robertum Gare, Equitem, Rectorem
juventutis Caroli Eboracensis.*

Elizabeth Regina tuo sobrina parenti.
Nominis & generis gloria quanta tui?
Creditus est Britonum Regis tibi filius: illa
Gentis, at hæc major gloria mentis erit.

19 *Exemplar.*

Exemplo virtus bene discitur atque docetur;
Qui dare mi suadet pauperibus, sua det.

20 *Medium duplex.*

In medio constat Tellus, tamen infima res est;
In medio virtus, res ea summa tamen.

21 *NO.*

Non præit, O se quitur; Nihil est antiquius Omni:
Scilicet, ex Nihilo condidit Omne Deus.

22 *Ad Jacobum Fullerton, Equitem, Rectorem
juventutis Caroli Eboracensis.*

Fullertone tuæ decus o doctissime gentis,
Est in tutela Regis imago tua;
Quæ sibi dissilem ne sumat imago figuram,
Fullertone tuum est hoc opus, hic honor est.

Sanctitas, Sanitas.

23 **N**emo diu, bene quisque potest, at vult bene nempe
Vivere; visne diu vivere? vive bene.

24 *Oves & Capræ.*

Adicendunt rupes & promontoria capræ;
Graminæ collino dum saturantur oves.

Sic

Sic nunc est: olim non sic erit, ad loca quando
Summa ferentur oves, inferiora capraz.

25 *Navis.*

Puppis cauda, carinaque venter, proraque rostrum:
Velaque sunt alæ; totaque navis avis.

26 *Ad Thom. Moravium, Caroli Ducis
Institorem.*

SI Jacobinum fas dicere Regis amicum,
In Jacobinis me profitebor ego.
Si Scoto quicumque favet Scorista vocetur,
Sum Scotista, nec hoc inficiabor, ego.
Tu me Thomistam totum, doctissime Thoma,
Tu me Scotistam, Scoto-Britanne, facis.

27 *Sanguine, non virtute.*

ANTiquum est, virtute decet, non sanguine niti:
Non meritis tamen, at sanguine nitar ego.
Non, inquam, virtute decet sed sanguine niti:
Non virtute meâ: sanguine, Christe, tuo.

28 *Sol & Tempus.*

SOL celer est, at Sole tamen velocior hora:
Hora stetit nunquam, Sol aliquando * stetit.
* Josu. c. 10. v. 12.

29 *Sanguis.*

SUM crudus, vocor inde cruor: per corpora curro,
Volvor, &c in venis sanguis ut anguis eo.

30 *In Pannicum divitem inertem.*

QUOD fortuna favet fatuis, mihi credere non vis:
Si mihi non credis, Punice, crede tibi.

31 *Brevitas. Anagramma triplex.*

PERSpicua brevitate nihil magis afficit aures,
In verbis, ubi res postulat, esto brevis.

32 *Tumulus I Puckering, custodis
magni sigilli.*

CERNIS in hoc tumulo tres fratres: quinque sorores.

E quibus una deest; unus adhuc superest.

Homerus.

33 **M**entiri cæcum cum nemo mirerur Hom erum :
Auritus teitit, non oculus erat.

Erasmus.

34 **Q**uæritur, unde tibi sit nomen Erasmus ? Eras mus.

Resp.

Si sum Mus ego, te iudice, Summus ero.

35 *Parum, Nihil: Nimis, satis.*

Pauper in orbe parum, mendicis nil habet usquam;
Dives habet nimium; quis, nisi nemo, facis?

36 *Ad Henr. Wotton, Equitem,
Regis Legatum, &c.*

In dubiis, Wotton, mei non immemor olim,
Serio, sero licet, sum memor, ecce, tui.
Nuper apud Venetos legatum, jamque Sabaudos.
Fallor? an in patriam prospera vela vehunt?
Regis opus, pensare tuos Henrice, labores;
Nescio (Secretum est) quando, aliquando, scio.

Respice finem.

37 **O**mega distinguit misero non Alpha beatum:
Ante obitum felix nemo; nec ante miser.

38 *Sabbatum polare. Ad polares.*

Una dies vestrum nox unaque terminat annum
Septimus est annus septima vestra dies.

39 *Ad desiderantes legem Salisam.*

Francorum laudat legem nova secta virilem,
Ne regat imbellis Martia regna colus.
Lege regi regnum Salica vultifne Britanni?
Este viri fortes, incipitore domi.

40 *Ad G. Gwin.*

In laudem, Gwaltere, tuam gratantia quare
Disticha non facio? Tu meliora facis.

41 *Iri & Crasi Epitaphium.*

Divitis exiguum est Crasi discrimen, & Iri
Pauperis; hic tumulum non habet, alter habet.

O

42 *Men.*

42

Mensis intercalaris, 1612.

CUr quarto solus crescit Februarius anno?
Hic minimus Lunæ mensis ab orbe fuit.

43

In Felicem.

Dives eras dum vivus eras, pauperrime Felix,
In Lazari malles mortuus esse loco.

44

Decem Principia.

Una Categorias in se Substantia res tres
Continet, ut Musas unus Apollo novem.

45

Logica.

Nascitur in tenebras animal, puer, infcius, infans;
Conferat Oxonium se; cito fiet homo.

46

Ad Sam. Daniel.

CUr calamus tractas dextra, gladiumque sinistra?
Est tibi Mars lævus, dexter Apollo tuus.

47

Novitas.

Displicet insipiens novitas, delira vetustas
Non placet: est vero nil mihi, Paule, prius:
Non ego sum veterum, non assecla, Paule, novorum
Seu verus est, verum diligo, sive novum.

48

Humilitas.

Uberiora ferunt valles, brevioraque montes
Gramina: multum humilis mens sapit, alta pa-
rum.
Mens mons est, montisque caecumen mentis acumen
Omne cacumen inops est, & acumen iners;

49

Tres Philanti.

Proximus ipse Egomet mihi sum: tibi proximus
es Tu;
Quid prohibet quin sit proximus Ille sibi?

50

*Dies S. Marci. Ad Marianum,
Pastorem.*

CUr ovibus, non signa capris imponimus? ovis
Servabuntur oves; non, Mariane, capræ.

Ad Dindymum.

51 **T**empore tempus edax edit omnia Dindyme: sed
Dum nugando teris tempora, tempus edis. (tu.)

52 *Terra Anagrammata duo: de Cælo &
Terra paradoxon duplex.*

Mobile non errat Cælum, stat Terra, sed *errat*
Funditus in varias undique festa vias.
Errantem pedibus calcabor, humillima Tellus,
Vomere profcindar, dumque ero Terra, *terar.*

Annus.

53 **V**er, Ætas, Autumnus, Hyems sunt integer annus,
Ætas Autumnno, Vere levatur Hyems.

Clies.

54 **P**harmaca si causæ vis applicet apta patronus,
Causidico clines callide crura Clies.

In Avarum.

55 **N**on vis ut modico major pede calceus existet:
Cur tibi quæris opum plus, tibi quam sit opus.

56 *Paciens inuersus, & Patientia
diuisa.*

Esse volo Paciens, si nolo, cogor; At in spē
Hac ego si potens entia cuncta pati.

Serpens, Eva, Adam.

57 **I**ncautam serpens fallit, non fallitur, Evam:
Fallitur, haud fallit, conjugè captus Adam.
Activus muliebris erat passivus & error:
Fallitur & fallit femina; capta capit.

Cygnus.

58 **C**um me fata vocant, ad amœni fluminis oram
Me moriens mæsto carmine solor olor.

Ad Polydorum.

59 **E**st Ablativo melior, Polydore, Dativus
Dives? & accipiens munera dante in inor.
Neu nimium crebro nunc Ablativus in usu est;
In pretio rursus quando Dativus erit?

Q 2

60 Ad

60

Ad Aldinum.

SERVUS ES INFELIX DOMINORUM, Aldine, duorum :
Alter enim tibi nil dat ; nihil alter habet.

61

Continentia triplex.

QUICQUID TURPE VIDES AUT AUDIS ; CLAUDE FENESTRAS ;
NE TEMERE EFFUNDAS FRIVOLA ; CLAUDE FORES.

62

Saturni tres filii.

NUMMIPOTENS UNUS FRACUM, QUI PRÆSIDET OTCO ;
ANNIPOTENS ALTER ; TERTIUS QUAMIPOTENS.

63

Senex juvenem alloquitur.

EST MEA VITA BREVIS, NEC TEMPORE LONGA FUTURA EST,
EST TUA LONGA ; BREVI FIET & ILLA BREVIS.

64

De libro.

OXONIZ FALSUS, (JUVENIS TUM) MORE VETUSTO :
WINTONIZQUE (PUERUM) PIPERATUS ERAM.
SI QUID INEST NOSTRO PIPERISVE FALI SIVE LIBELLO.
OXONIENSE FAL EST, WINTONIENSE PIPER.

65

*Ad Theodorum, Deo datum,**Medicum.*

NOMINE TU GRAJO THEODORUS ES ATQUE LATINO ;
ARTEPOTENS * PHOEBI, TER THEODORUS ETIS.
* MEDICUM CREAVIT ALTISSIMUS. ALTISSIMUS CREAVIT
DE TERRA MEDICINAM. Eccl. cap. 38. 14.

66

In Quintum.

JURANDI DIDICISTI ADVERBIA QUATTUOR OLIM :
TUM PUER : NUNC VIR MILLIA. QUINTE, QUATER.

67

Ad iracundum.

IRA CADAR CUM SOLE, AT NON CUM SOLE RESURGAT ;
SEMPER CUM PHOEBO CURRAT AL ANTIPODAS.

68

De Pallio & Tunica.

CERULEAS OLIM TUNICAS MANICASQUE GEREBANT
ANGLORUM DAVI, DESIDIOSA COHORS.
PALLIA NUNC GESTANT : CUR PALLIA ? VESTE SUB ISTA
HIC CYATHUM PULCHRE PALLIST, ILLE CAPUM.

69 *Mort.*

69

Mors.

Humanum in terris nihil est quod non sit humanum :

Avolat hinc animus : cætera sorbet humus.

70

In Ponticam Poëtam.

Claudicat & semper titubat pede Pontius uno :
Hexametrum ingressu Pentametrumque refert.

71

In Fabianum.

Tu vel quod dicis facito, vel dicito saltem
Quod facis ; At neutrum tu Fabiane facis.

72

Edere libros.

Accidit hoc mihi sæpe violenti scribere versus,
Ut libros edam plenus, inanis edam.

73

Illarem Datorem D. D.

Munera ne numera, miseris quæcunque dedisti :
In cælis numerat, munerat illa Deus.

74

In Quintum Ramissam, tertium patris filium.

Una duos tantum ramos quasi germinat arbor,
Dividis in partes omnia tota duas.

Si rerum fieret divisio quæque bimembris.

Est tua de patris pars quocæ, Quinte, bonis ?

75

Arma Cupidinis, arcus & calami.

Nudus Amor cur offensivis utitur armis,
Non defensivis ? Omnia vincit Amor.

76

De pr(o)sa & adstrictæ orationis problema.

Cur vincit velocior est quam sermo solutus :
Ille pedes sermo non habet ; alter habet.

77

Cælum.

Numinis immensi sedes amplissima, cælum :
Omni-potens Dominus, Omni-patensque do-
mus.

78

Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Unde renascuntur mortales, unda vocatur,
A qua nascuntur cuncta, vocatur aqua.

O 3

79 A

A Chest of Boxes. $\left. \begin{array}{l} \text{Suscipio.} \\ \text{- Scipio.} \\ \text{----- Pio.} \end{array} \right\} \text{Pyxidum Trias.}$

PRO patria patribusque mori, populoque Latinis,
Corde animoque pio Scipio suscipio.

80 *In Pontilianum.*

BLandus hero cauda canis irrequietus adulat:
Linguam pro cauda Pentilianus habet.

81 *Pulvis & umbra sumus.*
Horatius.

DESperet cælum natus de pulvere nemo.
Desperet cælum nemo quod umbra sumus,
Nostra caro est pulvis, sed eodem ex pulvere corpus.
Fit Domini; Mens est umbra, sed umbra Dei.

82 *Enigma.*

DIC mihi, quæ in cælis exstat vox * integra, cujus
In terris tantum syllaba prima patet &
* Felicitas.

83 *Dives.*

DERerior fio fieri dum ditior opto:
Major me fieri molior, haud melior.

84 *Converso Pauli.*

QUI modo *Saulus* eras, inverso nomine, *Salvus*.
Factus es: & *Παῦλος*, qui modo *Φαῦλος* eras.

85 *Recta ratio.*

TEMPore quod nostro ratio sit recta, dolendum est:
Esset gaudendum, si foret illa regens.

86 *Ad Caroli Ducis Doctorem,*
Thomam Moravianum.

TE novi, geniumque tuum, moresque Moravi:
Scriptaque lecta mihi sunt tua: digna legi.
Non Ductor doctorve Duci fuit aptior alter:
Dogmata dum sequitur Dux tua, doctus erit.
Non trahere invitum, sed in optima sponte sequen-
tem.

Quanta tua est virtus ducere posse Ducem?

87 Ad

Ad Ebraeos.

87

Religio Lex vestra; Fides ac nostra vocatur:
Vos bene non vultis credere; nos, facere;

88

Irur.

Qui mensa excipitur, quique excipit, hospes uter-
que est;

Sum multorum hospes, nullius hospes ego.

89

Deus.

Dispersus toto licet infinitus in orbe
Sic Deus: in toto quaeritur orbe Deus.

90

Aquila.

In sacris aquilæ portant mysteria templis:
Nunc est Jehovæ, quæ Jovis ales erat.

91

Tobias Matthæus.

Ex veteri primum sortire, novoque secunda,
Ex Testamento nomen utroque trahis.

Hoc mirum est: nomen Gentile Canonico esse,
Hoc in fonte Fides quod dedit. Apocryphum.

92

In Paraphrasin.

Ista paraphrasis est quasi circulus actus in orbem:
A centro ad circum linea textus hic est.

Tangit enim extremas diametri circulus oras,
At centrum nulla tangere parte potest.

93

In Corbulonem.

Diruit, ædificas; quid Corbulo? diruis omnes
Divitias & opes, ædificasque nihil.

94

In Gelliam Grammaticasiram.

Grammaticam veteres artem dixere loquendi:
Gellia; Grammatica nil opus arte tibi.

95

In quendam Grammaticasirum.

Me sicci facis atque pili, nauci, atque terunci:
Quanti te faciem scire cupis? nihil.

96

Bellum.

Solis militibus bellum res bella viderur;
Militibus solis omnia bella bona.

O 4

97 Di-

97

Divitia.

Solus Dis deus est; Dires dii; Numina nummi;
Cum plausu loquitur Pluto, tacetque Plato.

98

Tria genera.

Est dubii generis, castissima sit licet, uxor;
Communis, meretrix, Faminei, mulier.

99

ST. ST. Silentii nota.

Quid tibi Romanum vult ST? Sileto, Tacero:
S monet ut sileas. T jubet ut raceas.

100

Patria est, ubicunque est bend.

Where I do well.

There I dwell.

Ille mihi Patria est, ubi pascor, non ubi nascor;
Illa ubi iam notus, non uti natus eram.
Illa mihi Patria est, mihi quæ patrimoniam præbet;
Hic, ubicunque habeo quod satis est, habito.

101

Conjux.

Apra Duci non est uxor, non aptaque Regi.
Quæ duci non est apta, nec apta regi.

102

Rhetorica & Dialectica.

Rhetorice dicendi ars est, Logiceque docendi;
Illa sophistarum robur, at ista sophon:
Illa magis condita, recondita sed magis hæc est:
Illa falax magis & falsa: sed ista fal est.
Rhetorice verum veiat; Logiceque revelat;
Hæc monet, illa movet: hæc docet, illa nocet.

103

Alteon.

Carne m'edere canes Actæonis, ossa, cutemque;
Cornua Londini conspicienda manent.

104

*Multiplicatio & Divisio
Arithmetica.*

Cur dextram Divisio Multiplicatio lævam
Respicit? est virtus illa, sed hæc vitium:
Cur sursum Divisio, Multiplicatio deorsum
Adspicit? hæc homini convenit, illa Deo.

105

Vir vilem,
Autumnus

106

Alit

U No non posse
Dicere; si

107

Collum Hetero
Plurali num
Quanta est ve
Qui declinat

108

N Entrius ge
Hoc lignu

109

Inspicies singu
Quis minor

110

Ar

Inventa semp
Maxime; t

111

L ittera dem
Litera tra

112

De

Que mala sunt
m
Græco, si m
Experie

113

U Nda unde; un
Derivatio no
Annus ut, in le
Ad poudum rec

105 *Arbor.*
Ver viridem, flavamque ætas me fervida, canam
 Autumnus, calvam frigida fecit hyems.

106 *Ad Theodorum Prife, Oxon.
 Theologum.*

Uno non possum, quantum te diligo, versu
 Dicere; si satis est distichon, ecce duos.

107 *Unus Deus.*
Cœlum Heterocliton est, ut noster Lilius inquit
 Plurali numero nam caret ipse Deus.
O quanta est veterum blasphemia Grammaticorum;
 Qui declinandum nos docuere Deum.

108 *Dei genus.*
Neutrius generis Deus est; nec femina, nec mas;
 Hoc igitur Numen nec Dea, nec Deus est.

109 *Gubernaculum corporis.*
Insipiens linguam laxat, sapiensque refrenat;
 Quis minor aut major, quam tacuisse, labor ?

110 *Ex malis minimum & maximum.
 Ad Maximum.*

In mensa semper minimum tibi fume malorum
 Maxime; malorum maxima, si bona sunt.

111 *Unda.*
Littera demta Undas udas facit, addita mundas;
 Littera transposita est, undaque nuda manet.

112 *De somniis, paradoxon.*

Quæ mala sunt, bona sunt; mala, quæ bona se-
 mnia; quare?
 * Gaudeo, si mala sunt; si bona sunt, doleo.
 * Experrectus.

113 *Origo aquæ.*

Unda undæ; undarum tibi declinatio constat,
 Derivatio non; unda sit unde rogas?
 Annus ut, in sese sine fine revolvitur annis?
 Ad punctum redeunt annis & annus idem.

114 *Annus*

114

Avaritia.

UNDIQUE fluminibus currentibus in mare ma-
gnum.

Non ait, Unde venis? æquor, at? Unda veni.

115

Adamas.

MITTENDI fidos Adamantes sunt ad amantes,
Solo adamante polit durum adamante faber.

116

Canis & Lepus.

SIT QUANQUAM levipes lepus & velocior hoste,
Hic sequitur magna spes, fugit ille levi.

117

Vox & Scriptura.

LINGUA sagax aperit clausi mysteria cordis:
Scripturæ didicit vox sine voce loqui.

118

Laurus.

ARBOR ego Phœbi viridis frondosaque semper,
Nescio calvitium canitiemve pati.

119

Dicacitas & prudentia.

INGENIOSUS at imprudens, est absque cibo sal;
Doctus inurbanus quid? cibus absque sale.

120

*Aliquid ex nihilo.**Ænigma Arith.*

ADDIDERIS* unum nihilo, nihil inde creatur
ADDE* uni nihilum, nascitur inde Decas.

*OI,

* IO.

121

*Ad Guil. Sutton. Oxoniensem
Theologum.*

DEBEO plura tibi, quam versu dicere fas est:
Debitor æternum, si mihi credis, ero.

122

*Saturæ & Opes filii tres,
coheredes.*

DITES tres fratres: Neprunus, Juppiter, ac Dis,
Quid mirum? tibus his Ops bona mater erat.
Essem Neptuno, Jove, Diteque ditior ipse,
Fors mihi si matrem fausta dedisset Opem.

123 18

123 *In quendam oratorem infinitum.*

OMnia cum dixi, superest tibi dicere, Dixi:
Hæc mihi sermonis vox placet una tui.

124 *Ad Lectores.*

NON cuivis Lectori, auditorive placebo:
Lector & auditor nec mihi quisque placet.

LIBRI TERTII FINIS.



RPL